

- Sprētīs tamen omnibus ūnam  
 ille colit nymphēn, quam quondam in colle Palātī  
 dīcitur ancipitī peperisse Venīlia Iānō.
- 335 Haec ubi nūbilibus prīmum mātūruit annīs,  
 praepositō cūctīs Laurentī trādita Pīcō est,  
 rāra quidem faciē, sed rārīor arte canendī,  
 unde Canēns dicta est: silvās et saxa movēre  
 et mulcēre ferās et flūmina longa morārī
- 340 ōre suō volucrēsque vagās retinēre solēbat.  
 Quae dum fēmineā modulātur carmina vōce,  
 exierat tēctō Laurentēs Pīcus in agrōs  
 indigenās fīxūrus aprōs tergumque premēbat  
 ācris equī laevāque hastīlia bīna ferēbat
- 345 poeniceam fulvō chlamydem contractus ab aurō.  
 Vēnerat in silvās et fīlia Sōlis eāsdem,  
 utque novās legeret fēcundīs collibus herbās,  
 nōmine dicta suō Circaea reliquerat arva.  
 Quae simul ac iuvenem virgultīs abdita vīdit,
- 350 obstipuit: cecidēre manū, quās lēgerat, herbae,  
 flammaque per tōtās vīsa est errāre medullās.  
 Ut prīmum validō mentem conlēgit ab aestū,  
 quid cuperet, fassūra fuit: nē posset adīre,  
 cursus equī fēcit circumfūsusque satellēs.
- 355 ‘Nōn’ ait ‘effugiēs, ventō rapiāre licēbit,  
 sī modo mē nōvī, sī nōn ēvānuit omnis  
 herbārum virtūs, nec mē mea carmina fallunt.’  
 Dīxit et effigiem nūllō cum corpore falsī  
 fingit aprī praeterque oculōs transcurrere rēgis
- 360 iussit et in dēnsū trabibus nemus īre vidērī,  
 plūrima quā silva est et equō loca pervia nōn sunt.  
 Haud mora, continuō praedae petit īncius umbram  
 Pīcus equīque celer spūmantia terga relinquit  
 spemque sequēns vānam silvā pedēs errat in altā.
- 365 Concipit illa precēs et verba venēfica dīcit  
 īgnōtōsque deōs īgnōtō carmine adōrat,  
 quō solet et niveae vultum cōfundere Lūnae  
 et patriō capitī bibulās subtexere nūbēs.  
 Tum quoque cantātō dēnsētur carmine caelum

370 et nebulās exhālat humus, caecīsque vagantur  
līmitibus comitēs, et abest cūstōdia rēgis.  
Nacta locum tempusque ‘Per ō, tua lūmina,’ dīxit  
‘quae mea cēpērunt, perque hanc, pulcherrime, fōrmam,  
quae facit, ut supplex tibi sim dea, cōnsule nostrīs  
375 īgnibus et socerum, quī pervidet omnia, Sōlem  
accipe nec dūrus Tītānida dēspice Circēn.’  
Dīxerat; ille ferōx ipsamque precēsque repellit  
et ‘Quaecumque es,’ ait ‘nōn sum tuus; altera captum  
mē tenet et teneat per longum, conprecor, aevum,  
380 nec Venere externā sociālia foedera laedam,  
dum mihi Iānigenam servābunt fāta Canentem.’  
Saepe retemptātīs precibus Tītānia frūstrā  
‘Nōn inpūne ferēs, neque’ ait ‘reddēre (!) Canentī,  
laesaque quid faciat, quid amāns, quid fēmina, discēs  
385 rēbus; at est et amāns et laesa et fēmina Circē!’  
Tum bis ad occāsūs, bis sē convertit ad ortūs,  
ter iuvenem baculō tetigit, tria carmina dīxit.  
Ille fugit, sed sē solitō vėlōcius ipse  
currere mīrātur: pennās in corpore vīdit,  
390 sēque novam subitō Latiīs accēdere silvīs  
indīgnātus avem dūrō fera rōbora rōstrō  
fīgit et īrātus longīs dat vulnera rāmīs;  
purpleum chlamydis pennae traxēre colōrem;  
fībula quod fuerat vestemque momorderat aurum,  
395 plūma fit, et fulvō cervīx praecingitur aurō,  
nec quicquam antīquum Pīcō nisi nōmina restat.